
Burszovii Matthiae: Quaestio de natura appellationis.



QVÆSTIO
De Natura
APPELLATIONIS.

Ad c. ſuggeſtum de App. Recu: & Rela: iuncta Lege 1. ff. de Appel. & Relationibus.

A

M. MATTHIA BVRSZOWIC Cont: Iuriſperitorum Seniore:

IN

Collegio DD. Iuriſperitorum publicè ad Diſputandum propoſita.

Anno Dñi 1636. Die 20. Hora 8. Nouemb.

CRACOVIÆ,
In Officina Typ. Matthiæ Andreouień.

IN STEMMA.



Inſignis radijs duodenis circulus, ornat
CVLMÆ Præſulei nobile Stemma poli.
Cur ? factus fidei, nam dans rutilantia fuſco
Orbi, Culmigerum ſymbola: Zodiacus.

Bonauentura Brzeżinſki
Almæ Acad. Crac. Stud.

Perillustribus & Admodum Rndis

DD. PRÆLATIS, CANONICIS. Totiq; Venerabili Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Culmensis, DD. & Patronis, S. P.



VRIS vtriusq; primitias in Augustissimo Diui Iagellonis vireto, hac vindemiarum tempestate decerptas, P. & A. R. DD. in iucundissimum beneuolentiæ vestræ gremiū esse deponendas, in animum induxi. Neq; enim primus hic meus fætus gratior cuipiam videbatur futurus quàm vobis Patronis: nec alicui conuenientius à me venerat consecrandus, quàm defuncti mei Mæcenatis, Amicis & Collegis. Etenim cùm esset æquissimum, vt R. olim Gabriel Wladislawski Auunculus meus, primos hosce munificentiæ & Præceptorum suorum caperet fructus: nullus profectò vobis esse consecrandos ibit inficias, in quorum illius non memoria tantùm, sed corde etiam atque oculis pij requiescunt manes. Verùm neq; religiosa solummodò tanti Benefactoris busta fuère mihi stimulo, vt hæc quales quales conatus meos, Amplissimo vestro deferrem Collegio: sed singularis quoq; vestra in me beneuolentia, &

magnæ

magnæ virtutes, quæ non humili atq; obscuro loco latent, sed quasi in speculâ quadam excelsa positæ in omnium oculos atq; sermones incurrunt, non minore extiterunt incitamento. Vt enim de prudentiâ, pietate, iustitiâ, & liberalitate (ne videar assentari) nihil dicam, quæ tamen ita notæ sunt, vt non qui eas laudet, assentator, sed qui non laudet, maleuolus meritò existimetur: an amor vester in literas & literarum cultores paruus est, quem luculenter quotannis in vestros demonstratis Clientes? Loquentur illi ipsi quondam id abundè, dum summam vestram in se munificentiam prædicabunt, & iustis laudum encomiis celebrabunt. Meum porrò est P. & Adm. Rndi DD. vos precari & obtestari, meas hasce vt primitias in religiosissimis vestri nominis aris depositas, teneras adhuc & virentes, singulari beneuolentiæ fauore adolescere faciatis, & illarum tenuitatem, meamq; summissam in vos animi propensionem, humanitatis vestræ magnitudine subleuetis. Dat. ex Cont. DD. Iurisperitorum.

P. & A. R. DD. VV.

humillimus cliens

M. Matthias Bursowic,
Cont.. DD. IP. Senior.



QVÆSTIO.

Ad c. Suggestum de App: Recu: & Rela: iuncta L. 1. ff. de App. & Relat.

V. Appellatio â quolibet iudice, & in omni causâ, intra certum tempus & modum, ita vt illâ pendente nihil posit innouari, sit iurè & iustè instituta & introducta: nec ne?

CONCLVSIO I.

Appellatio à quolibet Iudice inferiore ad ſuperiorem regulariter eſt permiſſa.

COROLLARIA.

1. *Introduci non poteſt conſuetudine pacto vel ſtatuto, quod pars grauata ad ſuperiorem Iudicem nequeat prouocare.*

2. *Nullus inferior à Principe Iudex, poteſt cauſam committere cum clauſulâ (appellatione remota) etiam ſi ſit Epiſcopus, Archiepiſcopus, & etiamſi Legatus de latere.*

3. *Summus Pontifex eſt Iudex Appellationis competens contra omnes non recognoſcentes ſuperiorem, vbi vertitur periculum animæ vel notoria iniuſtitia.*

4. *Non eſt omninò rectæ rationi nec authoritati DD.*

repugnans

repugnans ab eodem iudice, ad eundem dari appellationem, maximè si fuerit malè informatus, vel si sententiam tulerit ex relatione alterius.

CONCLVSIO II.

Appellatio in omni causa, & ab omni sententia est permissa, nisi expresse prohibeatur in iure.

COROLLARIA.

1. In contumacia, Homicidio, manifesta violentia, confessis, iure victis, & criminibus exceptis, locum non habet appellatio.

2. In causa quæ dilationem non recipit, quæue periculum habet in morâ, & quæ paratam habet executionem, remouetur appellatio suspensiua.

3. In sen-

3. In sententijs in causis possessorijs latis, itemq; alijs quæ grauamen alâs irreparabile habent, nec non in causis alimentorum & censuris Ecclesiæ adimitur appellatio.

4. A tertiâ sententiâ quæ habet duas alias præcedentes conformes, cessat appellatio, idq; tametsi simus in illis, quæ non transeunt in rem iudicatam.

CONCLVSIO III.

In Appellationibus, vt suum sortiantur effectum, certum tempus, & certus modus est seruandus.

COROLLARIA

1. Regulariter, vel in continenti, vel intra decendium, à die latæ sententiæ, vel à primâ notitiâ appellatio est interponenda, & intra annum, nisi iusta causa intercedat executioni mandanda.

2. Appellatio viua voce non valet aliter, nisi fiat in continenti Iudice præsente & pro Tribunali sedente: Si vero fiat in scriptis, & ex interuallo, sufficit quod fiat coram Notario & testibus cum protestatione, quod sua intentio erat appellandi in iudicio à tali grauamine per talem Iudicem sibi illato.

3. Appellans ab interlocutoriâ vel definitiuâ, ex interuallo appellare debet in scriptis, siue apellatur ad Principem, siue ad inferiorem, nec sufficit, si appellans voce dicat, Appello, & in continenti appellationem suam faciat per Actuarium in scriptis redigi.

4. Appellanti vt facilior in eius causa instructio in processu valeat haberi, intra triginta dies Apostoli sunt petendi, quos si Iudex non exhibuerit Iudici, non appellanti imputabitur.

 CON=

CONCLVSIO IV.

Appellatione interposita nihil debet innouari, sed omnia in eo statu debent permanere in quo erant tempore Appellationis emanatæ.

COROLLARIA.

1. *Effectus Appellationis est, vt suspendat Iurisdictionem Iudicis, à quo, & eximat appellantem ab eius Iurisdictione & potestate, quoad illam causam.*

2. *Pendente Appellatione, Iudex à quo, rem controuersam, vel eius fructus non potest sequestrare, nisi appellans, vel appellatus sit suspectus de dilapidatione, vel debitor de fuga.*

3. *Licèt condemnatus ad mortem sit seruus pœnæ & prohibe-*

probibeatur facere testamentum, & quod faceret irritare- tur: tamen si iste condemnatus appellet, & pendente appel- latione moriatur, factum testamentum remanebit validū.

4. Clericus per sententiam depositus, si appellet, potest omnia munia, tam ratione Ordinis, quàm ratione Admi- nistrationis Ecclesiæ quam habet exercere: ita vt interim per omnia suus status maneat integer: secus est in suspenso, interdicto, excommunicato, in hoc enim appellatio senten- tiæ effectum non suspendit.

CONCLVSIO V.

Appellatio bono, iusto, & natu- rali iure est introducta.

COROLLARIA.

1. Substantia appellationis est, vt per eam iniquitas iudicantium & imperitia corrigatur, grauatis iustitia red-

datur: vt

datur: vt non errauerit, qui appellationem thyriacam aduersus iniquæ sententiæ venenum appellârit.

2. *Iudex à Principe inferior, appellationem parti grauatæ, & ad superiorem prouocanti denegans vel impediens, incidit in pænas. c. De priore. & L. Quoniam Iudices. C. Eodem tit.*

3. Appellationem esse introductam, vt defectus probationis in principali lite interueniens, possit suppleri & restaurari, dubium non est: ideoq; dicimus, quod in appellatione non probata probabo, non deducta deducam.

4. Iudex ne partes appellationis remedio ad litem per annum, vel biennium protrahendam abutantur, & sic per appellationem non præsidium innocentiæ, sed vinculum iniquitatis faciant, omninò obuiare tenetur.

Sub felicibus auspicijs Adm. Rndi & Mag. Dom. D. ADAMI OPATOVII S. Theol: Doct: & Proff. S. ANNÆ Decani, Almæ Acad: Crac Gen: RECTORIS.



Burszovic Matthias Quaestio de natura appellationis.